



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Roche-posay, Henri-Louis Chasteigner de  
Tolosae, 1614**

A Pio V. Creati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

Guillelmo Sirleto Cardinali Stili in Calabria nato huiusce Ecclesie titulari S. Sedis Apostolicæ Bibliothecario, Hebraicæ, Græcæ, Latineque linguæ peritissimo, humanarum, aliarumque disciplinarum scientiâ claro, eruditorum & pauperum patrono, ac parenti beneficentissimo, ob probitatem eius, pietatemque, à Pio 4. Pont. Max. sacro instante collegio Cardinali creato. Vixit annos 71. Obijt anno 1585.

GABRIEL PALEOTVS Bononiæ natus, ibidemque Iuris vtriusque professor, Cardinalis, scripsit

Tractatum singularem de Nothis & Spuriis.

Archiepiscopale Bononiense, varias ipsius Constitutiones ad rectam diocesis administrationem continens.

De sacris ac prophanis imaginibus lib. 2.

De Sacri Consistorii consultationibus.

De bono Senectutis.

Decisiones Rotæ

Actaque omnia Concilij Tridentini. Obiit

Romæ an. Christi 1597. ætatis 75. Iacetque in Cathedrali Bononiensi.

---

A PIO V. CREATI.

ANTONIUS CARAFA Neapolitanus, Cardinalis, linguæ græcæ in immensum peritus.

Catenam explicationem veterum Patrum in omnia Cantica veteris & noui testamenti.

Commentaria Theodoretii in Psalmos, aliorumque authorum in Pentateuchum. Latine reddidit

Gregorii Nazienseni Orationes aliquot.

Biblia, 70. Interpretū additis scholiis, & canonicos contextus Gregorii 13. iussu emendauit.

Ioannis Cassiani & Helix Cretenſis opera ab innumeris mendis expurgauit.

Gregorii magni Epistolæ per locos communes digessit.

Epistolarum Decretalium Summorum Pontificū tomos tres edidit.

Maximèque in colligendis Conciliis Oecumenicis Græcis & Latinis, pristinoque candori restituendis allaborauit. Obiit Romæ anno 1591.

Funebrique oratione à Francisco Bencio laudatus. Sepultus est in eade S. Syluestri in monte Quirinali cum hoc Epitaphio.

*Antonii Carasæ S. R. E. Presbyteri Cardinalis.*

IULIUS ANTONIVS SANCTORIVS Casertanus, ex Archiepiscopo S. Seuerinæ Cardinalis, scripsit

De ritibus Græcorum. Et

Acta Sanctorum vniuersæ Campaniæ, conterminarumque Regionum collegit. Obiit Romæ anno 1602.

FELIX PERETVS de Monte alto, Ordinis Minorū Cardinalis, qui postea Sixtus Papa V. modicus originis, quos spiritus gereret ipso graui & censorio nusquam immoto vultu non obscure ferebat, regiis non impares. Theologiamque Senis, Neapoli & multis in gymnasiis publicè profitendo breuissimo temporis curriculo ad primos suggestus honores peruenit, scripsit

Sermones elegantissimos, iam pridem excusos, vt habet Franciscus Gonzaga in historia ordinis minorum.

Opera etiam S. Ambrosii, eruditâ manu à mendis repurgavit, & accuratè typis excipi curavit. Obiit Romæ annos ad septuaginta natus, ibidemque sepultus est, in æde S. Mariæ Maioris cum hoc Epitaphio.

*Sixto V. Pontifici Maximo ex ordine Minorum, Alexander Perrettus S. R. E. Cardinalis Vicecancellarius ex sorore pronepos, fecit. Xixtus 5. Pontifex Maximus Cupris ad littus Superi maris in Piceno natus, Montalti educatus Frater Felix Perrettus ex ordine Minorum Theologus & Concionator insignis, hæreticæ prauitatis inquisitor, sui ordinis procurator & Vicarius Generalis, à Pio 4. Pontifice maximo cum Hugone Boncompagno Cardinali Legato Apostolico in Italiam missus, Pio 5. Pontifici maximo ob spectatum fidei Zelum eximiè charus, ab eoque Episcopus S. Agathæ, & S. R. E. Cardinalis factus, magnisque negotiis adhibitus, summo sacri collegij consensu Pontifex Maximus creatus, toto Pontificatu, Iustitiæ, Prudentiæ animique magnitudinis laude floruit.*

VINCENTIVS IVSTINIANVS Genuensis Ord.  
Prædicatorum Cardinalis, scripsit

Commentaria in Logicam vnâ cum lucidissimis quæstionibus, quæ vniuersam artem apertè explicant.

Thesaurum, theses impugnaturis aut propugnaturis vtilissimum.

Additiones quasdam ad librum constitutionum ordinis Prædicatorum.

Epistolasque complures. Romæ iacet in æde S. Mariæ super Mineruam cum hoc Epitaphio.

D.O.M.F. *Vincenzio Iustiniano Genuensi*. 38. (sua etatis anno electo Generali ordinis Prædicatorum; Inde annorum 51. in numerum S. R. E. Cardinalium assumpto. Obijt 28. Octobris, anno salutis 1582. Vixit annos 63. menses 2. Petrus Ioseph & Gregorius fratres PP.

IOANNES HIERONIMVS Albanus Bergomensis,  
Cardinalis scripsit

Commentaria in Bartholum.

Consiliorum volumen.

De donatione Constantini Imperatoris Ecclesiæ Romanæ facta.

De Cardinalatu.

De Ecclesiarum immunitate.

De potestate Papæ.

De Concilio.

Et alia. Romæ iacet in æde S. Mariæ de populo cum hoc Epitaphio.

*Ioanni Hieronimo Albano Bergomensis Cardinali I.C. generis nobilitate, morum elegantia, vitæ splendore, monumentis ingenij, doctrinaeque clarissimo. Reipublicæ Venetæ Collaterali Generali, matrimonio, ac celibatu, asperis & secundis rebus æque probato, Catholica Religionis egregio dictis & factis assertori ac vindici, ac ob eas res à Pio 5. Summo Pontifice difficillimis populi Christiani temporibus in Collegium Cardinalium adscito, in sententiis dicendis facundia, gravitate, sapientia, singulari, extremâ iam etate, pios inter amplexus carorum & oscula sensum extincto. Ioannes Dominicus Cæs. Comes parenti optime merito P. C. Vixit annos 87. Obijt 7. Kal. Maias an. Salutis 1591.*